

XXI. *A persor. à ministri ecclesie ad officium iniqua est argumentatio. Neq; enim ministerii efficacitas pendet à dignitate ministri, sed à dignitate Christi.*

XXII. *Ex potestate clavium malè colligitur eminentia Petri præ reliquis apostolis. Nam claves ecclesie sunt commendatæ omnibus apostolis, & illorum successoribus Matth. 16 19. Iohan. 20. 23.*

XXIII. *Ab errore extra fundamentum fidei non valet argumentum ad errorem fundamentalem. Nam hæ species dis. Ἀγ. πα. σῶν distant.*

XXIV. *Ab ecclesia plantandâ ad plantatam non valet conclusio. Sic in primitivâ ecclesia Christiani non nascebantur, sed fiebant.*

## C A P U T XXII.

### De Vocatione.

I. *A Vocatione universali ad specialem non valet argumentum. Vocatio universalis est, quâ omnes ac singuli homines per communia naturæ documenta ad Deum creatorem suum cognoscendum & colendum invitantur Act. 17. 27. Rom. 1 20. Vocatio specialis est, quâ Deus aliquos ex universo genere humano vocat ad ecclesiam. Prior illa naturalis, posterior evangelica solet appellari.*

II. *A vo-*